Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8302
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



audacter exire: & cum Macrino collatis signis
certare auderet, vniuersum exercitum in Aciem educit.
Exercitus inter se in phenicie Syrieque finibus manum
conserunt. Qui pro Antonino certabant, fortiter
pugnabant: timentes: ne si forte uincerentur: fructus
penas darent. Qui uero cum Macrino erant, re-
missius se se gerebant: quin et fugiebant: ad Anto-
ninumque transibant: que cum Macrinus aduertisset:

Macrini fuga:

timens ne ab omni destitutus exercitu, captiuus
turpiter duceretur: instante adhuc prelio: & imi-
nente nocte, abiecta clamide habituque imperatorio
clam cum paucis centurionibus aufugit: quos sibi
fidissimos fore putabat. Tonsa barba abiit: ne
agnosceretur. Vestem sumpsit itinerariam contecto
semper capite. Noctu interdiuque iter facit: ut sue
fortune famam preueniat. Centuriones magno
studio Essecla agitabant: tanquam si Macrino adhuc
imperante aliquo ex dedito studio mitterentur.
Proinde ut dictum est aufugit. Exercitus adhuc
in utroque cornu pro Macrino certabat. Qui corporis
custodes erant & doryphori: quos Pretorianos

Pretoriani: quest.

uocant: Pretoriani maximi quidem & delecti